QUID

DE DEO SENECA SENSERIT

Bourloton. — Imprimeries réunies, A, rue Mignon, 2, Paris.

QUID

DE DEO SENECA SENSERIT

THESIM

PROPONEBAT FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

L. LÉVY-BRUHL

OLIM SCHOLÆ NORMALIS ALUMNUS

PARIS

LIBRAIRIE HACHETTE ET Cie

79, BOULEVARD SAINT-GERMAIN, 79

—

1884

OPTIMO VIRO ET MAGISTRO

L. OLLÉ-LAPRUNE

PHILOSOPHIÆ IN SCHOLA NORMALI PROFESSORI

DEVOTISSIMI ANIMI PIGNUS

D. D. D.

L. LÉVY-BRUHL

QUID
DE DEO SENECA SENSERIT

PROŒMIUM

Neminem fugit, quum pleræque antiquorum philosophorum sectæ, et in primis Epicurea, fideliter verbis magistri usque ad finem addictæ manserint, stoicorum prope solam doctrinam perpetua quadam et lenta conversione esse mutatam, ita tamen ut nunquam facta sit sui ipsius dissimilis. Quo nullum melius argumentum afferri potest, stoicam disciplinam, magis quam ceteras, vitæ hominum ac moribus revera interfuisse, ac vividam sese ingeniis impressisse; quoniam quidquid vivit, sine intermissione mutatur. An poterat philosophia, quæ mentes ægras sanare, quæ debiles roborare, quæ totius vitæ dirigendæ curam suscipere amabat, eadem tertio ante Christum, eadem secundo post Christum seculo do-

1. Vide præclarum librum : Martha, *les Moralistes sous l'empire romain* (Hachette). Quo in libro optime de morali Senecæ doctrina disputatur.

cere? Omnibus fere gentibus in romanam potestatem redactis, mox principe tantum imperium obtinente, totus mutatus erat rerum publicarum et privatarum status. Multa ergo erant quæ, olim non desiderata, nunc ab ea philosophia flagitabantur, quæ tranquillitatem animi omnibus, in quacumque essent conditione vitæ, se daturam promittebat. Nam Zeno Athenis tranquillam atque uni, ut videtur, philosophiæ deditam vitam degerat : Seneca autem, Neronis sævitiæ et beneficiis obnoxius, mortem quotidie meditabatur. Cleanthes noctu aquam e puteo, victus quærendi causa, solebat haurire ; at Marcus Antoninus a teneris ad id informatus erat, ut orbem terrarum regeret. Quum igitur hi omnes stoicam sectam secuti sint, quid mirum si multa communia in eorum scriptis, multa autem uniuscujusque propria inveniantur? Non tantum interest inter singulas doctrinas, ut difficile sit perspicere omnes iisdem principiis inniti :

... Facies non omnibus una,
Nec diversa tamen ;

aliquid tamen interesse negari non potest.

Quapropter operæ pretium est qualem habuerit Deum Seneca quærere, non ita, ut Dei qualem sibi effinxerant stoici imaginem jam toties a peritioribus[1]

1. Citentur hic inter alios : Ravaisson, *Mémoire sur le stoïcisme* (*Académie des inscriptions et belles-lettres*, t. XXI, 1re partie.) — Zeller, *Philosophie der Griechen*, etc.

expressam nos quoque adumbremus, sed potius ut manifestum fiat, quid illi imagini addiderit, quid ademerit Seneca. « Periculosæ plenum opus aleæ » aggredior : nam communibus, ut ita dicam, verbis, et quæ jam stoici antiquiores usurpaverint sæpius proprios sensus Seneca reddit, et, quum amissa sint omnia fere veterum stoicorum scripta, ad illa Senecæ libri conferri non possunt : difficilius igitur erit interdum id ipsum, quod quærimus, certo discernere. Licet tamen, nisi verum semper attingere, saltem propius ad id accedere; nec scio an nunquam plus nostra cura possit efficere in historia, præsertim in ea quæ antiquorum philosophorum doctrinas restituendas suscipit.

Tum autem, etiamsi opera antiquiorum stoicorum ad nos pervenissent, id manebat, in ipso Senecæ ingenio et philosophandi genere, quod nos sæpe in dubitationem adduceret. Quemadmodum enim plerique latinæ gentis philosophi metaphysica parum curaverunt, ita Seneca quoque eorum satis incuriosus fuit, quæ non ad beate vivendum spectarent. Una philosophiæ pars illi videtur digna, cui et operam et tempus impendat : ea scilicet, quæ moralis vocatur. Naturæ tamen rerum cognoscendæ ac perquirendis cujusque rei causis vividum et felix ingenium applicari poterat, si illo tempore hæc studia in honore fuissent. Sed de philosophia, quæ ipsam essentiam rerum aut Dei tractat, non est quod multum ab eo postules. Nam et jamdudum metaphysicæ quæstiones negligebantur, et

dignitatem rerum omnino non profuturarum nec quidquam ad usum vitæ afferentium, nemo fere Romanus, ut opinor, plane intellexit. Si quando subtilitate quadam stoica Seneca seducitur, mox amissi eum temporis pœnitet, et ad propositum, id est ad utilem, ad moralem disputationem rursus properat.

Sequitur illum nihil altius de essentia Dei metaphysica ratione quæsivisse, ne putavisse quidem quidquam esse quærendum, ea autem quæ sui illi stoici tradidissent et accepisse, et quibus poterat optimis verbis expressisse[1], ut discipulum aptum et eloquentem decuit. Nihil amplius de ipsa essentia Dei requirit, quam quod a magistris suis didicit, præsertim quum id satis sit ad refellendam Epicuri de eadem doctrinam, et ad exponendos magnificos de Providentia divina locos. Quamobrem prope nihil in omnibus Senecæ scriptis invenitur (quod ad essentiam Dei spectet), quod non ab antiquiore quodam stoico sit mutuatus.

Præterea, quoties de Dei natura agitur, haud obliviscendum est quantum inter nos et antiquos philosophos intersit, quod ad cogitandi rationem attinet. Nam, ut nostri putant, super et extra naturam Deus est (excepto Spinosa ceterisque, qui illum secuti, naturam a Deo non dividunt); infinitaque ejus et humanæ menti incomprehensibilis natura non potest

1. *De Ben.*, IV, 8, 3. — *Quæst. nat.*, I, prol. 13, 14. *Epist.*, 113, 22. — *De Ben.*, IV, 7.

nisi metaphysice explorari. At illis antiquis (si paucos excipias, Platonem, Aristotelem, et Plotinum in primis), Deus aut intra, aut saltem non extra naturam videtur esse, ita ut physice de illo quæratur. Quum autem stoici multo plus operæ morali quam physicæ philosophiæ impenderent, nec longe unquam ab ea explicandæ totius naturæ rerum ratione, quam ba Heraclito acceperant, discederent, prope eamdem theologiam, sicut easdem ceteras physicæ doctrinæ partes, usque ad id tempus servaverunt in quo Seneca vixit.

Ut vero, omissa physica theologia, ad moralem, ut ita dicam, theologiam venitur, multa in Senecæ scriptis occurrunt, quæ ipse per se et aptissime invenit, et magnificentissime reddidit. Quum de eis quæ dì hominibus largiuntur, de eis quæ homines dìs debent, loquitur, jam non discipulum, nisi fallor, sed magistrum audimus; non ea reddit tantummodo, quæ accepit, sed ipse docet de suo. Tunc, sublata persona, apparet ingenium majore præditum nitore quam viribus, virtutique, ut dixit poeta noster, potius amicum quam deditum : at nihilominus candidum neque ulli rei intelligendæ impar.

CAPUT PRIMUM

AN DEUS ET DI APUD SENECAM IDEM SIGNIFICENT.

Hoc primum quærendum est, utrum in Senecæ scriptis aliquid inter « Deum » et « Deos » intersit, an ille utroque dicendi modo sine discrimine utatur. Hoc autem haud facile discernas, præsertim quum sæpe in eadem sententia uterque dicendi modus inveniatur. Quod pluribus exemplis ostendi potest, ex eo libello excerptis qui de Providentia inscribitur[1]. Itaque non infitias eo sæpius ipsum Senecam parum curavisse utrum « Deum » an « Deos » diceret, — nulla alia causa forsan hoc aut illud eligentem, nisi quo plenior sententia melius sonaret. Verum etiamsi plerumque res ita se habet, alii tamen reperiuntur loci in quibus Seneca non nisi « Deum », alii in quibus non nisi « Deos » scribere voluit.

1. Quoties populariter agit, id est, quoties Deos respicit, quales vulgus esse eos arbitratur, « Deos », vel etiam « Deos immortales » dicit Seneca. « Deos

1. *De Prov.*, I, 5, 6. — II, 8. — IV, 5, 6, 7, 11. — V, 6.

vota non exorant, sed admonent[1]. » — « Sed ne dîs quidem qui aram evertunt, injuriam faciunt[2]. » — « Dîs ipsis manus intentantur[3]. » — « Deos mortium signa præmittere[4]. » — « Excusare Deos volo[5]. » — « Munera et Deos vincunt[6]. » Hoc denique de popularibus dîs dignissimum est quod citetur. « Omnem istam ignobilem Deorum turbam, quam longo ævo longa superstitio congessit, sic adorabimus ut meminerimus cultum ejus magis ad morem quam ad rem pertinere[7]. » Quando eos Deos appellat, nihil aliud ipse quam morem sequitur. Mox enim videbimus Senecam non ita antiquiorum stoicorum exemplum esse secutum, ut vulgari religioni parceret, et « ineptias poetarum » cum placitis philosophiæ conciliare conaretur. At illum non fugiebat difficilius evelli quidquid in mente hominum longa consuetudine altius increverit, ac de dîs eo modo sæpissime locutus est, quo melius animos superstitione imbutos tangeret, et ad puram religionem revocaret. Hæc causa est cur non iisdem vocibus utatur, quas usurpaturus sit, cum philosopho quodam disputans. Sermonem audientium animis accommodare vult, nec sua, sed

1. *De Ben.*, V, 25, 4.
2. *De Vita beata*, 26, 5.
3. *De Clementia*, I, 25, 5.
4. *Quæst. nat.*, I, 1, 4.
5. *De Ben.*, IV, 31.
6. *Quæst. nat.*, IV, 7, 1.
7. *Frgm.*, 39, ed. Haase. — Ap. *Augustinum de civitate Dei*, VI, 10.

illorum potius verba ad exprimendum id, quod sentit ipse, adhibet. Quapropter in iis locis ubi de Deo et homine simul agitur, vel divina illa societas explicatur (de qua magnifice jam Cicero scripserat), qua homines cum Deo, sicut cum patre liberi, junguntur, in iis etiam ubi commemorat eloquentius Seneca quot et quanta a Deo quotidie homines accipiant, quantamque referre Deo debeant gratiam, non tædet illum « Deos » dicere, etiamsi « Deum » cogitat : nihilominus enim sic eo, quo tendit, pervenit, scilicet ut illam pietatem, qua oportet Deum coli, injiciat animis.

2. Nonnunquam etiam divinam naturam Seneca vult significare, quatenus ab humana conditione distet, divinas res, quatenus ab humanis sint dissimiles : sic quoque parum curat utrum « Deum » an « Deos » scribat. Multa afferri exempla possunt. « Hoc est quo Deum antecedatis : ille extra patientiam malorum est, vos supra patientiam. » — « Sapientem dì non multo antecedunt. » — Ecce autem iterum « Dìs ipsis de felicitate controversiam agere is potest qui animam in expedito habet », et alias : « Jovi ipsi controversiam de felicitate faciamus. » Quid enim? non patet hic nihil aliud Senecam quam divinam naturam cum humana conferre, nec tantum-

1. *De Prov.*, VI, 6.
2. *Ep.*, 53, 11.
3. *Quæst. nat.*, VI, 32, 5.
4. *Ep.*, 110, 18. Cf. *Ep.*, 25, 4.

modo respexisse, utrum « Deos » an « Deum » scriberet? Similiter nos hortatur, ut adversus deos[1] grati simus, ut illos imitemur, qui beneficia ingratis perseverant[2]. — « Carissimos nos dì immortales habuerunt habentque, — deos nemo sanus timet[3]. » Hæc, ut opinor, satis erunt ad id, quod proposuimus probandum : id est, Senecam sine discrimine aut « Deos » aut « Deum » tunc scripsisse, quum illud divinum, quidquid est, quod supra nos est, ab humanis rebus dividere voluerit.

3. Tum distinguere nos oportet, utrum aliena cujusdam verba aut sententiam Seneca referat, an ipse de suo loquatur : sæpius enim aliquem secum disputantem (plerumque e secta Epicureorum) fingit, ut similior fiat dialogi quam perpertuæ orationis ejus sermo. Quum autem alius cujusdam sententiam refert, aut verba ejus, qualia sunt, reddit, et Deos, si ille Deos, Deum, si ille Deum, dicit, aut saltem id tantum spectat, ut quam vividissime contradicentis opinionem exprimat, nunc Deum, nunc Deos appellans. Multa occurrent exempla, quibus id manifestum erit.

His igitur in sensibus, et in nonnullis aliis quos generali explicatione comprehendere non licet, fatendum est nos perspicere non posse, cur potius Deos quam Deum, aut potius Deum quam Deos scripserit

1. *Ep.*, 15, 11.
2. *De Ben.*, VII, 31, 2.
3. *De Ben.*, II, 29, 6; IV, 19, 1.

Seneca, et ipsum forsan parum curavisse. Contra quidam loci apparent, ubi non dubium est, quin Seneca ex proposito alterutrum elegerit.

4. Videtur enim Seneca veterem stoicorum doctrinam servavisse, qua illi Deum optimum et supremum (quem Jovem quoque vocabant), a ceteris dîs dividebant, natura super omnes excellentem et præeminentem. Nam fert Plutarchus[1] dixisse Chrysippum « Solem et Lunam ac ceteros ejusdem generis Deos et natos, et perituros esse : Jovem vero æternum ». Simili ratione supremum quemdam Deum agnoscit Seneca, ceteris numinibus longe dignitate præstantem. Invenitur enim apud Lactantium[2] sententia dignissima in qua moremur, ex libro quem de Immatura morte Seneca scripserat excerpta. « Non intelligis auctoritatem ac majestatem judicis tui, rectoris orbis terrarum cœlique, et deorum omnium Dei, a quo ista numina, quæ singula adoramus et colimus, suspensa sunt. »

Qua in sententia tria sunt quæ animadverti velim : primo hæc ipsa appellatio : « deorum omnium Dei » quam haud arbitror iterum apud scriptores antiquos, nisi christianos, reperiri posse ; deinde naturam illius deorum Dei ita definiri ut rector et judex omnium appareat, denique ceteros deos adeo ex illo pendere, ut futuri non sint, nisi ex ejus voluntate. Quod ultimum comprobari potest altera sententia, ex Exhorta-

1. *De stoic. Rep.*, 38, 5.
2. *Inst.*, I, 5, 26. — *Frgm.*, 26, ed Haase.

tionibus Senecæ excerpta, quam nobis idem Lactantius servavit, sane pariter memorabilem :

« Hic (Deus scilicet), quum prima fundamenta molis pulcherrimæ jaceret, et hoc ordiretur, quo neque majus quidquam novit natura, nec melius, ut omnia sub ducibus suis irent, quamvis ipse per totum se corpus intenderat, tamen ministros regni sui genuit[1]. »

Et denuo apud Lactantium[2] : « Et est illud verum, quod dixisse in Exhortationibus Senecam supra retuli : « Genuisse regni sui ministros Deum[3]. »

Qui has sententias legerit, non poterit dubitare quin Seneca crediderit unum esse Deum, longe a ceteris distantem : hos enim ab illo genitos (perituros quoque), quibus munus assignatum fuerit, cuique suum ; illum autem et deorum et hominum communem patrem, qui omnia quæ sint recte disposuerit, et quem solum deceat vocari Deum, nisi populari religioni, et ut ipse dixit Seneca, mori aliquid concedendum fuerit. Ac sane ejus verba ea sunt quæ divinitus inspirata christianis, aliquot seculis post, videri debuerint ; adeo cum ipsorum dictis et cogitatis congruunt. Crediderim tamen eadem et aliis stoicis placuisse, quorum libri perierunt. Redit enim mihi in

1. *Lact. Inst.*, I, 5, 27 (frg. 16).
2. *Lact. Inst.*, I, 7, 5 (frg. 16).
3. Hæc omnia cum quibusdam locis Platonici Timæi sunt conferenda : ὁ γεννήσας πατήρ (37, *c*). — Ἐξ ἧς δὴ τῆς αἰτίας γέγονεν ὅσα ἀπλανῆ τῶν ἄστρων ζῶα θεῖα ὄντα καὶ ἀΐδια (40, *b*). — Λέγει πρὸς αὐτοὺς ὁ τόδε τὸ πᾶν γεννήσας τάδε· « θεοὶ θεῶν... » (41 *a*).

memoriam locus præstantissimus ex libro Ciceroniano, ubi asseritur « mentem divinam esse, ac præpotentem Deum, cui pariter et homines et dì pareant[1] ». Ac simul illum præpotentem Deum « cœlestis descriptionis » nomine appellat Cicero. Pro certo haberi potest illum hoc ex aliquo stoicorum libro in suum transtulisse, et eum ipsum præpotentem Deum a Seneca « deorum Deum » vocatum fuisse. Sed verba quibus hic utitur multo magis nos movent; nec mirum est si Lactantius ea multa cum laude in opus suum recepit.

Qualem autem hunc « deorum Deum », esse putaverit Seneca, nunc videamus. Hic vero (quod sæpius accidit) non semper sibi ipsi consentit, et locos quosdam afferre possim, nisi prioribus contrarios, saltem valde ab eis discrepantes. In illis enim nihil nisi vetera stoicorum placita : in his autem de suo loqui videtur, ac si nobis liceret hic iis vocabulis uti, quæ Spinosa ausus est in latinitatem suam admittere, dicerem Senecam, quoties magistrorum vestigiis insistat, naturam *naturatam* potius quam *naturantem*, quoties autem liberius et cogitet et loquatur, naturam *naturantem* potius quam *naturatam*, Deum vocavisse[2]. Atque ad illum modum dicendi, id est, ad mere stoicum, adscribendus mihi videtur unus et alter notissimus locus.

1. *De Legibus*, I, 7. Cf. *De Natura Deorum*, II, 2, 4.

2. Cf. L. Crouslé, *De L. Annæi Senecæ Quæstionibus naturalibus*, p. 69, 70.

« Eumdem quem nos Jovem intelligunt, rectorem custodemque universi, animum ac spiritum mundi, operis hujus dominum et artificem, cui nomen omne convenit. Vis illum fatum vocare? non errabis; hic est ex quo suspensa sunt omnia, causa causarum. Vis illum providentiam dicere? recte dices : est enim cujus consilio huic mundo providetur, ut inoffensus exeat, et actus suos explicet. Vis illum naturam vocare? non peccabis : hic est ex quo nata sunt omnia, cujus spiritu vivimus. Vis illum vocare mundum? non falleris. Ipse enim est hoc quod vides totum, partibus suis inditus, et se sustinens et sua[1]. »

Et fere iisdem verbis, in quarto de Beneficiis libro :

« Hunc eumdem et fatum si dixeris, non mentieris. Nam quum fatum nihil aliud sit quam series implexa causarum, ille est prima omnium causa, ex quo ceteræ pendent. Quæcunque voles illi nomina proprie aptabis, vim aliquam effectumque cœlestium rerum continentia : tot appellationes ejus possunt esse quot munera ..... Naturam voca, fatum, fortunam; omnia ejusdem Dei nomina sunt, varie utentis sua potestate[2]. »

Hic est Deus qualem stoici habuerunt, quem Seneca tam feliciter expressit, ut nemo melius. Nihil horum est enim quod Zeno vel Chrysippus repudiare potuerit, quod non fortasse et ipse dixerit. Quamob-

1. *Quæst. nat.*, II, 45.
2. *De Ben.*, IV, 7 et 8.

rem minus in illis morabimur : ad ea properamus, quæ Senecæ non omnino propria, tamen ab eo ita reddita sunt, ut ejus facta esse videantur.

Hoc primum dicamus, apud Senecam maximum illum Deum, deorum Deum, non solummodo ceterorum omnium, quæ sunt in mundo, causam esse, sed et sui. « Deus ipse se fecit[1]. » Non patet idem veteribus stoicis placuisse, qui quidem arbitrabantur et materiam et spiritum pariter a principio exstitisse, nusquam vero affirmaverunt « Deum se ipsum fecisse. » Hoc enim *pantheismo* paululum repugnat, quum Deus videatur et mundo et sibi ipsi quodam modo præexstitisse : hæc libenter Senecæ ipsi potius quam ejus magistris referam[2].

Deinde prima et simplex causa Deus est[3], ex qua, ut jam vidimus, ceteræ pendent, causa causarum. Id autem animadverti velim, seriem causarum non cæco fato, sed ratione optima, ut Seneca putat, conditam esse. Nec me fallit apud stoicos fatum a ratione divina non dividi, atque illi doctrinæ Senecam esse assensum ; hoc dico : libentius Senecam illam rationem vocavisse, quam fatum. Liceat mihi excellentem ex libello de Providentia inscripto locum citare : « Quidquid est quod nos sic vivere, sic mori jussit, eadem necessitate et deos alligat (« Deos » scribit, non « Deum » : quare id faciat ex eo, quod supra dixi, facile

1. Ap. *Lact. Inst.*, I, 7, 13. (ex Exhortationibus) frg. 15
2. Cf. *Plotinum, Enn.*, VI, 9.
3. *Ep.*, 65, 12.

est intelligere). Irrevocabilis humana pariter ac divina cursus vehit. » Nihil magis consentaneum stoicæ doctrinæ : hoc autem addit, stoicum quidem quoque, sed jam humanius. « Ipse ille conditor et rector scripsit quidem fata, sed sequitur. Semper paret, semel jussit. » Ecce autem hoc plane *Senecianum* invenimus. « Quare tamen Deus tam iniquus in distributione fati fuit, ut bonis viris paupertatem et vulnera et acerba funera adscriberet[1] ? » Aperte et clare hic perspici potest quomodo placita magistrorum suorum de Deo maximo in humaniorem formam flectat. Quæ necessitas fatorum erat, paulatim fit conditor, et rector, et distributor fati. Vult enim Seneca eum Deum habere, quem colere, quem imitari, quem amare queat : quis autem amor vel necessitatis vel fati esse potest ? At si quis seriem causarum condidit, si quis fata distribuit, hunc diligere et vereri possumus. Ad summam, nihil contra stoicam doctrinam : paululum fortasse extra doctrinam. Videtur enim Seneca interdum admirabilem illum Platonicum Deum respexisse, cujus natura in providendo et benefaciendo, in condendo et disponendo mundo tota sit. « Dispositor ille mundi Deus[2] », iterum reperitur, eodemque loco providentia appellatur ; pariterque alio in loco « ab illo mundi conditore qui nobis vivendi jura descripsit[3] ». Manet Seneca (ut verbum

1. *De Prov.*, V, 9.
2. *Quæst. nat.*, V, 18, 5
3. *Ep.*, 119, 15.

Ciceronianum usurpem), germanissimus stoicus, sed qui Deum, quem tot nomina deceant, malit providentiam quam fatum appellare.

5. Sed de Providentia mox plura : nunc illorum deorum natura explicanda est, quos Deus sibi genuit, ut ministri sui regni essent. Diligentius autem Senecæ libros pertractanti apparet hoc nomine apud illum cœlestia corpora significari, videlicet Solem et Lunam et planetas, stellas quoque et cometas. Quod quidem a vulgata antiquorum philosophorum opinione non abhorret, et in primis stoicorum[1], ut ex sententia ea demonstrari potest, quam supra laudavimus. Sed et Pythagorea, et Aristotelea sectæ quoque astra deos esse putaverunt. Ita Seneca quoque, quamvis sæpius (ut ipsi confessi sumus), « deos » nulla strictiore adhibita significatione scribat, interdum hoc nomine corpora cœlestia sine dubio appellat. Argumento est latior in quarto de Beneficiis libro locus, ubi Seneca, quærens an Soli et Lunæ quidquam homines debeant, respondet prorsus multam deberi gratiam, quamvis illa cursum mutare aut resistere non possint. « Non ideo minus vult, qui non potest nolle ; imo maximum argumentum est firmæ voluntatis ne mutari quidem posse. » Hæ non sunt igitur inanimes materiæ moles, sed mentem habent, et illam quidem divinam ; mox enim addit Seneca : « Adjice nunc quod non externa cogunt

1. Cf. *Cicer. de Nat. Deorum*, II, 15, 42. Ex quo efficitur in deorum numero astra esse ducenda (*ibid.*, II, 21, 54, sqq.— 31, 80).

deos, sed sua illis in legem æterna voluntas est..... nec unquam primi consilii deos pœnitet. » Jam vero sequentia omnem dubitationem tollunt. « In prima autem illa constitutione, quum universa disponerent, etiam nostra viderunt, rationemque hominis habuerunt. Itaque non possunt videri sua tantum causa decurrere, et explicare opus suum, quia pars operis sumus et nos : debemus ergo et Soli et Lunæ et ceteris cœlestibus beneficium..... Adjice quod ex destinato juvant, ideoque obligati sumus, quia non in beneficium ignorantium incidimus, sed hæc quæ accepimus, accepturos scierunt[1]. »

Quibus ex verbis colligi potest : 1° divinam esse Solis et Lunæ ac ceterorum cœlestium naturam; 2° eam esse illorum deorum mentem, ut hominibus haud ignorantes multa beneficia præstent, et conscii opus suum, ut ait Seneca, explicent. Hi sunt igitur ministri Dei summi, qui regnum ejus assidue administrant, et res humanas et cœlestes curant. Eodem in loco commemorat Seneca « mentem illam præmissam a principio rerum » quæ disposuit omnia; ita ut hujus consilium et illorum munera confundi non possint. Atque iterum in Quæstionibus naturalibus[2] :

« Ipse qui ista tractat, qui condidit, qui totum hoc fundavit deditque circa se, major pars operis sui ac melior (ut qui enim se ipsum genuerit), effugit

1. *De Ben.*, VI, 21-25.
2. *Quæst. nat.*, VII, 30, 4.

oculos, cogitatione visendus est. » Dî autem ex illo geniti oculos nostros non fallunt, et lumen nobis suum largiuntur quotidie, alternis vicibus diei et noctis sese ostendentes; aut saltem si « multa cognata numini summo et vicinam sortita potentiam obscura sunt » (nempe astra hominibus adhuc ignota); alia sunt certe quæ ignorare non possimus, exempli gratia Sol, et Luna et stellæ. Quod semel ille Deus præpotens descripsit, hoc illa numina sine intermissione servant et procurant, donec mundus ipse illabatur, intereuntibus terris et cœlo, ac novus ex integro rerum ordo instauretur, qui tamen :

Solemque suum, sua sidera *noscet*,

ut fert antiquissima stoicorum doctrina.

Multi eadem significantes loci laudari possunt. « Soli Lunæque plurimum debeo [1]. » — « Anno temperantique annum Deo privatim obligatus sum ; quamvis nihil in meum honorem descripta sint [2]. » Hic præcipue, quo nihil clarius : « Dî, omnium rerum optimi auctores, ingratis perseverant.... alius Solem, cui debemus.... saxum aliquod aut fortuitorum ignium globum et quidvis potius quam deum appellat. » Patet hic Senecam Epicuro exprobrare quod solis divinitatem neget. Similiter apud Marcum

1. *Ep.*, 73, 6. Cf. *Cicer. de Natura Deorum*, II, 16; II, 31, 78.
2. *De Ben.*, VII, 31.

Antoninum invenitur « Ὁ Ἥλιος... καὶ οἱ λοίποι θεοί[1] », quamvis ipse sæpe dixerit, ὅτι κόσμος εἷς καὶ θεὸς[2] εἷς. Nec magis hic sibi ipse contradicit quam Seneca : hinc enim Deus est unus, deorum Deus, omnium causa et sui : illinc autem dì geniti, qui ab illo pendent.

Quid autem de natura illorum Dei summi ministrorum Seneca explicuit? Valde parum. Nam quod ad physicam eorum naturam attinet, nihil fere reperimus, nisi illa esse cognata numini summo numina, et aliquando in universa totius mundi conflagratione peritura, eatenus vero ordinem suum servatura. Multo plura de morali deorum natura Seneca scripsit : at id nobis periculum imminet, ne cœlestibus dìs attribuamus quod ille divinæ conditioni hærere generaliter senserit. Hoc unum satis certo asseri potest : ita genitos illos deos esse ut toti in opere suo explicando, id est, in benefaciendo essent. « Quæ causa est dìs benefaciendi? natura. Errat si quis illos putat nocere nolle : non possunt. Nec accipere injuriam queunt, nec facere. Lædere enim lædique conjunctum est. Summa illa ac pulcherrima omnium natura quos periculo exemit, ne periculosos quidem fecit[3]. » Recordanti quid omnes fere antiqui philosophi de incorrupta cœlestium corporum natura crediderint,

1. Marc. Ant., VIII, 19.
2. Marc. Ant., VII, 9; XII, 11.
3. *Ep.*, 95, 49.

videbuntur sane hæc verba mire cum iis congruere, quæ supra de Sole et Luna citata sunt.

At in hac sententia « ut dì immortales nullam didicere virtutem, cum omni editi, et pars naturæ eorum est bonos esse[1].... », affirmare non ausim de dîs cœlestibus rem esse : quanquam hoc verbo, « editi » idem significari videtur quod alias « dîs a mente summa genitis ». Et pariter in secundo de Ira libro. « Quædam sunt quæ nocere non possunt, nullamque vim nisi beneficam et salutarem habent, ut dî immortales qui nec volunt obesse, nec possunt. Natura enim illis mitis et placida est[2]. » Anceps est locus, neque in quo facile discernas utrum populari an philosophica dicendi ratione Seneca usus sit. Nihil igitur amplius de dîs a Deo genitis, de eorum natura et muneribus e Senecæ scriptis colligere possumus.

6. Ultimus est quem Seneca Deum appellet, animus humanus, ita quoque stoicorum suorum secutus exemplum. « Animus sed hic rectus, bonus, magnus. Quid aliud voces hunc quam Deum in corpore humano hospitantem[3] ? » — « Prope est a te Deus, tecum est, intus est. Ita dico, Lucili : sacer intra nos spiritus sedet, malorum bonorumque nostrorum obser-

1. *Ep.*, 95, 36. Cf. *Cicer. de Nat. Deorum*, II, 13, 34. Qui natura boni sapientesque gignuntur, quibus a principio innascitur ratio recta constansque.

2. *De Ira*, II, 27, 1.

3. *Ep.*, 31, 11.

vator et custos : hic prout a nobis tractatus est, ita ipse nos tractat ...

Quis deus incertum est, habitat deus.

bonus vir sine Deo nemo est[1]. »

Apud Marcum Antoninum quoque legere est « Ὁ ἐν σοι δαίμων ». Ille etiam animum humanum ἀποσπάσμα θεοῦ appellat. Arbitrabantur enim stoici unicuique hominum proprium deum adesse quem genium vocabant « divinæ particulam auræ ». Hoc autem Seneca non plane probabat, quum scriberet : « Sepone in præsentia quæ quibusdam placent, unicuique nostrum pædagogum dari deum, non quidem ordinarium, sed hunc inferioris notæ, ex eorum numero quos Ovidius ait « de plebe deos[2]. » Hic quoque paululum Seneca a stoicorum agmine discedit. Haud quidem negat partem esse divini spiritus animum hominis, huc redituram, unde venerit ; imo hac opinione ad consolandam Marciam utitur ; verum tamen deum in corpore nostro hospitantem nihil aliud esse putat quam conscientiam, bonorum malorumque nostrorum custodem. Eadem epistola sic incipit. « Ex Nomentano meo te saluto et jubeo habere mentem bonam , hoc est propitios deos omnes, quos habet placatos et faventes, quisquis sibi

1. *Ep.*, 41, 1. Cf. *Cicer. de Nat. Deorum*, II, 66, 166. Nemo igitur vir magnus sine aliquo afflatu divino fuit.

2. *Ep.*, 110, 1.

se propitiavit. » Quo non melius ostendit ullus locus, quomodo Seneca sæpe, quidquid vel metaphysice vel physice antiquiores stoici expresserint, in eam partem sit interpretatus quæ ad mores potius pertineret.

CAPUT SECUNDUM

DE EXISTENTIA DEORUM ET PROVIDENTIA.

Duo sunt argumenta quibus Seneca demonstrat esse Deos : 1° universus omnium hominum consensus; 2° tot et tanta in homines natura congesta beneficia.

1. « Multum dare, inquit, solemus præsumptioni omnium hominum, et apud nos veritatis argumentum est aliquid omnibus videri : tanquam deos esse inter alia hoc colligimus, quod omnibus insita de dîs opinio est, neque ulla gens usquam est adeo extra leges moresque projecta, ut non aliquos deos credat[1]. » Illud enim argumentum stoicorum proprium est, et recte « apud nos » scribit Seneca. Idem apud Ciceronem legere possumus, ex stoico quoque libro sine dubio excerptum : « Ipsis in hominibus nulla gens est neque tam immansueta, neque tam fera, quæ non, etiamsi ignoret qualem habere deum deceat, tamen habendum sciat[2]. »

1. *Ep.*, 117, 6.
2. *De Legibus*, I, 8. — *De Natura Deorum*, II, 2, 4.

2. Alterum argumentum, revera validius, majoris quoque momenti apud Senecam est. Quum enim in ceteris scriptis, tum præcipue in quarto de Beneficiis libro, non cessat deorum opera celebrare, tantam eorum erga homines vel malos, vel ingratos, vel sacrilegos bonitatem, tanta vitæ vel infelicissimæ data munera. Sed explicandi quam demonstrandi majorem curam habet. Quales sint dì, nunquam satis exposuit : esse deos, non putat opus esse ut multum probet. Quod facilius intelliges si ad stoicam doctrinam respexeris. Vult enim illa Deum a natura rerum non dividi posse : an vero oportet naturam rerum argumentis demonstrari? per se ipsa omnibus hominibus patet. Unum igitur hoc philosophi officium erit, ostendere mentem naturæ rerum insitam, rationem scilicet humano generi benevolam, et quæ omnia fere in terris ad usum nostrum disposuerit. Aliter sensisse Marcum Antoninum mox videbimus, cui non tam manifestum est esse deos, quam Senecæ. Hunc vero de eorum existentia nulla unquam dubitatio sollicitat. Id unum quærit, utrum cæcam an providam sese natura ostendat, hominum curiosam an incuriosam : contra Epicurum contendit sæpius, nihil non observare Deum : atque hic etiam universo hominum consensu utitur. « Hoc qui dicit (Epicurus), non exaudit precantium voces, et undique sublatis in cœlum manibus vota facientium privata ac publica. Quod profecto non fieret, neque

in hunc furorem omnes mortales consensissent alloquendi surda numina et inefficaces deos [1].... »

Nihil amplius de Deorum existentia quæsisse ipse per se Seneca videtur. Quas Cicero stoicorum spinas vocaverat, eæ Senecæ quoque displicent. « Hac subtilitate effecimus, Lucili carissime, ut exercere ingenium inter irrita videremur, et disputationibus nihil profuturis otium terere. » His prope verbis incipit epistola quæ tamen fere tota in subtilissima disputatione versatur; ecce autem sub finem : « Quin potius aliquid utile nobis ac salutare tractamus et quærimus, quomodo ad virtutes venire possimus, quæ nos ad illas via adducat [2]? » Haud aliter si quis Senecam ad altiorem de deorum existentia et essentia meditationem vocavisset, respondentem audire mihi videor. « Quin potius quomodo sint dî colendi et amandi requiris? Satis illos novit qui bene coluit. »

Longe uberiorem, atque ut ita dicam divitiorem Senecam inveniemus, quid de animo et mente deorum senserit inspicientes. Non quod multa admodum nova stoicæ doctrinæ addiderit : eadem fere verba sunt, sed plus inest verbis. Idem Deus describitur, sed nescio quo modo factus propior hominibus, imo proximus. Non cogitavit tantum de dîs Seneca, sed eos quasi præsentes sensit, et vividis verbis, qualés sibi apparerent, expressit.

1. Dî boni sunt. Omnes homines sunt eorum boni-

1. *De Ben.*, IV, 4, 2.
2. *Ep.*, 113, 26.

tatem experti et quotidie experiuntur. « Quis est autem tam miser, tam neglectus, quis tam duro fato et in pœnam genitus, ut non tantam deorum munificentiam senserit? Ipsos illos complorantes sortem suam et querulos circumspice : invenies non ex toto beneficiorum cœlestium expertes; neminem esse, ad quem non aliquid ex illo benignissimo fonte manaverit [1]. » Nempe quod vivimus, quod spiramus, quod anni tempora certo ordine redeunt, quod Sol et Luna alternis vicibus lucem nobis suam commodant, quod tot et tantis vitæ præmiis fruimur, totum hoc muneris divini est. Ingratissimi ergo sunt homines, si qui tanta beneficia aut obliviscuntur, aut etiam negant a dìs dari. « Parum dedit natura, quum se dedit? — At non poterat se non dare. — Quia non poterat non bona esse; sed nihilominus tamen scientibus scientes dì prosunt. » « More optimorum parentum, qui maledictis suorum infantium adrident, non cessant dì beneficia congerere de beneficiorum auctore dubitantibus [2]. » Nullus est locus quo melius intelligatur quid stoicæ de Deo doctrinæ attulerit novi Seneca. Potest quidem Deus lex universi, aut fatum, aut εἱμαρμένη, aut ignis rationalis appellari : patrem mavult illum vocare Seneca, patrem libero-

1. *De Ben.*, IV, 4, 3.
2. *De Ben.*, VII, 31, 4. Cf. poetam nostrum :

Le dieu, poursuivant sa carrière,
Versait des torrents de lumière
Sur ses obscurs blasphémateurs.

rum suorum amantissimum, quem rursus liberi diligere possint, quem vereri, quem cogitatione saltem visere, si effugiat oculos. Eadem reperiemus apud Epictetum et Marcum Antoninum, multaque alia ejusdem generis, humaniorem, si fas est dicere, Dei faciem referentia : haud arbitror autem apud Zenonem et Cleanthem reperiri potuisse. Descendit « celsi dominator poli », ut miseris succurrat, ut afflictos liberet, ut omnibus consulat. Apud Romanos maxima fuit ea laus stoicæ disciplinæ[1], quod vocantibus Deum attulit. Nemo autem melius quam Seneca et precantium clamorem et succurrentis Dei naturam expressit. Consolationem ad Marciam legenti patet nihil illum eorum ignoravisse quæ matris animum movere possent. Aspera doctrina mitior facta est : nec tam erectum ad cœlum sapientem Seneca monstrat, quam pronos ad terram Deos. Ii denique sunt illi dî, quos nemo sanus timeat. « Furor est enim metuere salutaria, nec quisquam amat quos timet[2]. »

2. Providentiam esse asserit Seneca : qualem illam habuerit non facile est explicare, quum diversi inter se repugnent quidam loci. Modo enim irrevocabili cursu omnia vehi affirmat, et ipsum illum Jovem, summum Deum, et deorum genitorem, semel jussisse semper parere[3]; modo autem aliquid in ordine fatorum mutari posse, nisi ab homine, saltem a Deo,

1. Martha, *op. cit.*, *passim.*
2. *De Ben.*, IV, 19, 1.
3. *De Prov.*, V, 8.

credere videtur. Quinetiam hoc sibi proponit dispiciendum Seneca, atque utriusque opinionis vim tentat, ipse tamen huic quam illi propior. « Nos quoque existimamus vota proficere salva vi ac potestate fatorum. Quemadmodum enim a dìs immortalibus ita suspensa relicta sunt..., ita non est hoc contra fatum. » Putabat forsan quædam ita ambigua et ancipiti natura esse, ut vel hunc vel illum exitum habere possent, iisdem manentibus causis; quod quidem, Epicurei clinaminis non dissimile, libertati locum quemdam relinqueret. At subito, ut ita dicam, legentem postico fallit, et ad physicam quæstionem, quam in manibus habebat, redit[1].

Sed, omissa hac difficultate, fac Providentiam esse, et ab illa mundum regi, seu rebus semel dispositis, seu perpetua et quotidiana cura (atque haud scio an uterque regendi modus Senecæ probatus fuerit, ille Deum, hic deos magis decens) ; qui fit ut tot et tanta tamque varia mala undique circumspicienti occurrant? Quænam illa justitia deorum est, quæ cura? Hoc objicientibus non ignorabant stoici respondendum esse, eoque magis, quo magnificentius de providentia deorum disserere soliti erant, neque oblitus est Seneca tam difficilem, sed tam necessariam causam defendere.

Plurima sunt malorum genera : non autem omnia sibi explicanda Seneca proposuit. Quomodo fieri

1. *Quæst. nat.*, II, 35-39.

possit, ut homo peccet, qua ratione siverit Deus liberos suos in pejus ire, et naturale in eis a se positum lumen aut offuscari, aut etiam ipsa culparum consuetudine exstingui, non quæsivisse videtur. Cur hic sapiens, ille autem stultus evadit? Nonne id efficere Deus debuerat, ut homines, cum ipso rationis participes, et innocentiæ quoque societate jungerentur? Adeoque non fugit Senecam homines plurimum peccare, ut contra scripserit « neminem nostrum esse sine culpa[1] ». Quare igitur noluit Deus, si potuit? — Hoc tam grave Seneca non tractavit, ratus, ut opinor, facultatem non peccandi penes quemque esse natura. Ex ipso pendet utrum sapiens an stultus fiat, et, quemadmodum divino auxilio ad adipiscendam virtutem non indiget, ita culpas suas dìs vitio vertere non potest. Sola propriorum peccatorum ipse causa est. Virtutem colat : jam non malo fiet obnoxius. Quomodo autem, manente fato, liberum possit esse hominis arbitrium, nec Seneca dixit, neque nos quæremus. Non est hic toties vexatæ quæstionis rursus excitandæ locus.

Cur autem tam sæpe calamitates in bonos irruunt, malisque parcunt? Cur horum res insolenter prosperæ illorum infelicitati imminentes, clamare videntur deos non esse qui res humanas curent? Hæc Senecam non fefellerunt, et objicientibus respondere voluit in libello cui titulus inscribitur « quare incom-

1. *De Ira*, II, 28.

moda aliqua bonis viris accidant, quam Providentia sit[1] ». Primo Providentiam esse demonstrat enumerando, ut supra dixi, deorum erga homines amplissima beneficia, deinde nota refert stoicæ doctrinæ acumina : ista quæ mala videantur, quæ vulgus appellet aspera, duriora toleratu, non solum non mala esse, sed « pro ipsis, quibus accidant, atque etiam volentibus accidere ». Non tanti est huc transferre quidquid Senecam juverit scribere ut ista probaret; quæ dum demonstrabat, non illum tamen fugiebat, neminem eis plane convinci posse. Ad alia transeamus, minus nitentem eloquentiæ materiam præbentia, sed haud scio an digniora, in quibus moremur.

Duo sunt explicanda : 1° quare mali tot bona accipere ; 2° quare boni tot mala pati queant.

1° Quod malos attinet, non semel dixit Seneca omnibus, vel malis, deos sua munera fundere. « Illa bonis paraverunt; contingunt etiam malis, quia separari non possunt. Satius autem est prodesse etiam malis propter bonos, quam bonis deesse propter malos[2]. » Quid hac ultima sententia pulchrius, quid ingenio generoso dignius, et quod christianam in Deum pietatem melius antecurreret? Hoc longe a

1. Putat L. Crouslé (*De L. Annæi Senecæ naturalibus Quæstionibus*, p. 35) hunc libellum, rogante Lucilio, prius scriptum fuisse quam Seneca ipse destinavisset, quum operi de Quæstionibus naturalibus conscripto disquisitionem de Providentia tanquam fastigium apponere in animo haberet.

2. *De Ben.*, IV, 28, 1.

tritis stoicorum disputationibus distat : hoc proprium esse videtur Senecæ, respicientis Deum illum, patrem nostrum, quem nos amantem invicem ut diligamus hortatur. « Pro universis invenerunt, excerpere singulos non potuerunt[1]. »

Esto, non poterant mali communi bono privari : « multum refert utrum aliquem non excludas an eligas. » Cur autem mali sæpe eligi videntur ? Cur quos contemptu nos et odio, eosdem interdum dî favore et gratia prosequuntur ? Nescire se Seneca confiteri non audet. Imo contendit bona in homines istius modi ideo congeri, ut pateat ea non vere bona esse. « Nullo modo magis potest Deus concupita traducere quam si illa ad turpissimos defert, ab optimis abigit[2]. » Alteram addit deorum excusationem, veterum philosophiæ satis consentaneam, sed quam nos sane miramur. Asserit enim deos, quum beneficia præstantissima in pessimum virum fuderint, non ipsius, sed majorum aut nepotum gratia fecisse. « Quare C. Cæsarem orbi terrarum præfecit (providentia), hominem humani sanguinis avidissimum, quem non aliter fluere in conspectu suo jubebat, quam si ore excepturus esset ? Quid ergo ? tu hoc illi datum existimas ? patri ejus Germanico datum, avo proavoque, et ante hos aliis non minus claris viris, etiamsi privati paresque aliis vitam exegerunt. » Non igitur

1. *De Ben.*, *ibid.*
2. *De Prov.*, V, 2.

arbitratur Seneca pro se quemque fortunam suam accipere. Quisque suos patimur et avos, et nepotes; et « quæ repentina esse putamus, longe a dìs provisa veniunt[1] ». Similia apud Herodotum[2], et Sophoclem, et Platonem occurrunt : non vivere singulos pro se tantum, sed pro gente sua, quæ antequam nascerentur illorum vitæ jam immineret, illis superfutura. « Deos verisimile est, ait Seneca, ut alios indulgentius tractent propter parentes avosque, alios propter futuram nepotum pronepotumque ac longe sequentium posterorum indolem. » Quod si concessum erit, difficile certo erit probare erga quemquam deos aut nimis aut parum severos fuisse.

2. Reliquum est ut eorum ratio reddatur, quæ bonis incommoda et aspera sæpius accidant. Illa omnibus stoicis communia omittamus, et statim ad ea veniamus quæ Senecæ propria potissimum videntur esse.

Primum dì de bonis non male mereri, sed contra materiam virtute dignam eis volunt præbere. « Deus quos probat, quos amat, indurat, recognoscit, exercet. » Ut ii qui juvenes moriuntur, ita ii quoque qui variis casibus vexantur, unice a dìs dilecti fuisse putandi sunt. « Ecce par Deo dignum, vir bonus cum mala fortuna compositus[3]. » Cetera satis nota sunt : nihil enim splendidius scripsit Seneca; hoc

1. *De Ben.*, IV, 32, 2.
2. *Herodoti*, I, 91.
3. *De Prov.*, II, sqq.

tantummodo animadvertatur rogo, hic quoque Deum ut patrem ab illo ostendi. « Patrium Deus habet adversus bonos viros animum, et illos fortiter amat. » Nullus autem pater liberos suos nisi in illorum utilitatem exercet. Quum igitur boni viri exercentur, manifestum est illos non queri, sed gratos esse debere erga patrem. Quod certe non multum a christiana doctrina abhorret, nec mirum est multis in mentem venisse Senecam illius aliquo modo participem factum fuisse.

Deinde non omnia penes arbitrium ipsius Dei sunt : « Non potest artifex mutare materiam[1]. » Noluit forsan Deus bonos viros paupertati et vulneribus et ceteris miseriis obnoxios fieri ; ne sivit quidem, sed passus est. Hoc fortasse non a stoicis, sed a Platone potius mutuatus est Seneca. Hic enim est locus plane Platonicus « ... deus quidquid vult efficiat an multis rebus illum tractanda destituant, et a magno artifice prave multa formentur, non quia cessat ars, sed quia id, in quo exercetur, sæpe inobsequens arti est[2]? »

Eadem prope apud Plutarchum quæ apud Senecam invenias. Nempe iis temporibus, quibus multa et privatim et publice accidunt quæ homines vel bonos affligunt, non potest philosophia non quærere quomodo id fieri possit salva deorum bonitate et justitia. Obvium est quod sibi ipsa respondet : esse scilicet

1. *De Prov.* V, 9.
2. *Quæst. nat. prol.*, I, 16-17.

materiam quam Dei potentia domare, bonitas movere nequeat, malorum omnium principium et fontem : inde casus omnes bonis viris et imminere et irruere. « Quia non poteram (Deus loquitur apud Senecam) vos istis subducere, animos vestros adversus omnia armavi[1]. » Si potuisset Deus, tamen forsan miserias humanæ conditioni inhærentes a bonis viris non defendisset, ne nullum virtutis experimentum fieret : verum hoc extra ejus potentiam erat; nemo igitur eum injustitiæ accuset.

Tum nos meminisse oportet res « pro universis fieri, quorum major dìs cura quam singulorum est[2] ». Hoc fere omnes dixerunt, qui justitiam divinam a criminibus eorum vindicare voluerunt, qui illi tot calamitates in bonos irruentes exprobrare solent. At non illud argumentum tale est, quale eam ipsam justitiam deorum deceat, cujus defendendæ causa repertum est. Nulla est respublica in qua non omnibus pateat, nihil injustius esse, quam si civis unus malum pati insons cogatur, ut ceteri incolumes evadant : quare aliter habere res se debet in ea magna republica qui mundus vocatur? Eo minor debet hic esse injuriis locus, quod Deus est ejus et pater et rex.

Quin potius Seneca ideo laudandus est, quod nemo inter antiquos melius intellexit, quomodo Providentia in mundo sese ostendat. Plerique enim stoici

1. *De Prov.*, VI, 6.
2. *De Prov.*, III, 1. — Cf. Cicero, *De Natura Deorum*, II, 66, 167. Magna di curant, parva negligunt.

solebant demonstrare totam rerum naturam hominum causa esse factam, omniaque in orbe terrarum ad usum eorum esse disposita. Multo autem sapientius Seneca: « In prima illa constitutione, quum universa disponerent (di), etiam nostra viderunt, rationemque hominis habuerunt,..... etiamsi potiora sunt, in quæ oriuntur, nos tamen in majora ituri juvant,..... quanquam majus illis propositum sit, majorque actus sui fructus quam servare mortalia, tamen in nostras quoque utilitates a principio rerum præmissa mens est, et is ordo mundo datus, ut appareat curam nostri non inter ultima habitam[1]. » Hæc nos modestia decet: quid enim tam ridiculum, quam putare totam hanc immensam mundi machinam nostri tantummodo causa fabricatam esse? « Neque enim Deus omnia homini fecit[2]. » Itaque, quamvis stoicæ superbiæ non sit expers Seneca (qui parem Deo, atque etiam Deo superiorem sapientem fieri posse scripserit), illi tamen non defuit sensus majestatis divinæ et imbecillitatis humanæ delicatior, ita ut Providentiæ nos potius confidere quam jurgari debere optime intellexerit.

Postremo nullam occasionem negligit Seneca Epicurum strenue impugnandi, declarantem Deum nihil curare nec sui nec alieni. « Tu denique, Epicure, deum inermem facis..... Hunc igitur inseptum in-

1. *De Ben.*, VI, 23. — Contra Cic., *De Natura Deorum*, II, 62, sqq.

2. *Quæst. nat.*, VII, 30, 3.

genti quidem et inexplicabili muro, divisumque a contactu et a conspectu mortalium non habes quare verearis[1]..... » Nempe poterat omnino non esse Deus, qui hominibus nullus est, qui nec compellari nec coli potest, qui præsertim homines non amat, non tuetur, non ut liberos diligit, non ut suos præsidio defendit. Non tam Epicureo Deo irascitur Seneca quia rationem, quam quia conscientiam offendit.

Id patet igitur quod probandum suscepimus : humaniorem factum esse apud Senecam quam apud veteres stoicos Deum. Sæpe enim novis et memorabilibus utitur vocibus, præsertim dum deorum adversus homines amantem et patrium animum describit : atque etiam quum iisdem, quibus illi antiquiores, utitur verbis, aliquid videtur illis inesse mitius, ideoque bonitate simul et majestate divina dignius. « Magnitudo cum mansuetudine[2]. »

1. *De Ben.*, IV, 19, 1-4. — Cf. VII, 31, 3.
2. *De Vita beata*, 3, 4.

CAPUT TERTIUM

DE CULTU DEORUM ET DE SUPERSTITIONE.

Haud scio an nemo apud antiquos Senecam superaverit in docendo quomodo sint dî colendi, qualis debeat esse erga eos animus hominum, qualisque religio.

1. Quod si quis perspicere volet, non ea repetet potissimum, quæ de sapiente scripsit Seneca : hæc enim non ipse ex se exprompsit, sed exemplar a magistris traditum tantummodo quam optime potuit, reddidit. At stoicus ille sapiens,

> Jove........... minor uno,
> Pulcher, honoratus, liber, rex denique regum,

parum nos movet, et stantem ante deos non ita admiramur, ut ferociæ tantæ nos non tædeat[1]. Dum sequitur Deum et imitatur sapiens, dum illum, quo auctore cuncta proveniunt, sine murmuratione comitatur, dum impiger atque alacer excipit imperia[2],

1. Cf. Caro, *Quid de beata vita senserit Seneca*, p. 43, sqq.
2. *Ep.*, 107, 10.

bono militi similis, nec deserit hunc operis pulcherrimi cursum cui quidquid patimur, intextum est, optimam viam virtutis exercendæ et colendorum deorum tenet. Quum autem sapiens Deo par atque etiam Deo major ostentatur, pietati superbia obest. « Jupiter quo antecedit virum bonum? diutius bonus est : sapiens nihilo se minoris æstimat, quod virtutes ejus spatio breviore clauduntur. Tantum sapienti sua quam Deo omnis ætas patet[1]. » — « Sapiens excepta mortalitate similis Deo[2]. » Hæc et cetera ejusdem modi quæ apud Senecam de sapiente legere est (neque admodum pauca), magis Sextii aut Demetrii placita quam ipsius animum referunt. Manifestum est enim illum non fugisse quam sit debilis mortalium quisque et peccatis obsitus.

2. Omittamus igitur sapientem istum, inter divinitatem et humanitatem quasi suspensum, quem nemo imitari vel possit, vel forte cupiat : videbimus majestatem divinam optime fuisse a Seneca cognitam. Nempe ait « totum mundum deorum esse immortalium templum, solum quidam amplitudine illorum ac magnificentia dignum[3] ». Locum quoque præstantissimum ex libris moralis philosophiæ a Seneca scriptis, qui ad nos non pervenerunt, Lactantius servavit : « Vultisne vos deum cogitare magnum et placidum, et majestate leni verendum ; amicum et semper in

1. *Ep.*, 73, 13. — Cf. 53, 11.
2. *De Const.*, 8, 2. — Cf. Cicero, *De Natura Deorum*, II, 61, 153.
3. *De Ben.*, VII, 7, 3.

proximo, non immolationibus et sanguine multo colendum; — quæ enim ex trucidatione innocentium voluptas est? — sed mente pura, bono honestoque proposito. Non templa illi congestis in altitudinem saxis exstruenda sunt; in suo cuique consecrandus est pectore[1]. » Hic est proprius Senecæ sensus, hæc propria verba. Quam longe ab illo rigido et frigido sapiente abest! Quid melius de natura Dei dici potuit, quid de cultu divina majestate digno?

3. Jam de precibus quid censuit Seneca, quum arbitraretur naturam esse fatum, neque id mutari posse, ne ab illo quidem, qui condidisset? « Deos, quorum notitiam nulla res effugit, rogamus, et illos vota non exorant, sed admonent[2]. » Quid autem prodest illos admoneri, qui nec ignorent quod desideremus, nec nobis opitulari, adversa necessitate rerum, possint, etiamsi velint? Hoc sibi ipse objecit Seneca. « Aut futurum est, aut non. Si futurum est, fiet, etiamsi vota non suscipis. Si non est futurum, etiamsi susceperis vota, non fiet. » At solerter respondet falsam esse istam interrogationem, quia illa media inter ista exceptio præteritur: « futurum hoc est, sed si vota suscepta fuerint. » « Ita enim preces dìs admotæ non cum fato pugnant, sed ipsa fati lege fiunt. » Nec inficete addit Seneca: « sic, quum sanitas debea-

1 *Frgm.*, 123, *ap. Lact. Inst.*, VII, 25, 3. — Cf. Cicero, *De Nat. Deorum*, II, 28, 71.
2. *De Ben.*, V, 25, 4.

tur fato, debetur et medico, quia ad nos beneficium fati per hujus manus venit[1].» Nonne ea legenti id venit in mentem, quod Leibnitzius in eumdem modum scripsit, ineunte libro qui Theodicæa inscribitur? similiter enim λόγον ἄργον refellit, et quam absurdum sit fatum mahumetanum demonstrat. — Attamen, si Senecæ credimus, necesse est hos vota suscipere, vel utilia vel inutilia, vel bona vel mala, quicumque suscipiant; « sic ordinem fati rerum æterna series rotat, cujus hæc prima lex est, stare decreto[2]. » Salva vi et potestate fatorum, nihil manet penes arbitrium hominis, ne vota quidem ; salvo arbitrio, jam non est cursus rerum irrevocabilis. Dissimulavit ergo difficultatem Seneca, non solvit : atqui ipse etiam Leibnitzius frustra erat eam tentaturus.

4. Sed fac vota suscipi posse, imo suscipienda esse : quænam ista vota erunt? « Roga bonam mentem, bonam valetudinem animi, deinde tunc corporis. Quidni tu ista vota sæpe facias? audacter deum roga : nihil illum de alieno rogaturus es. ... quanta dementia est hominum! turpissima vota dìs insusurrant ; si quis admoverit aurem, conticescent, et quod scire hominem nolunt, deo narrant[3]. » (Qua in sententia Seneca populariter locutus vicissim « dìs » et « deo »

1. *Quæst. nat.*, II, 37-38.
2. *Quæst. nat.*, II, 35, 2.
3. *Ep.*, 10, 4, 5.

scripsit.) Quis non meminit admodum similia legi et apud Juvenalem :

> Fortem posce animum.....
> Orandum est ut sit mens sana in corpore sano;

et apud Persium :

> Non tu prece poscis emaci
> Quæ nisi seductis nequeas committere divis...
> Haud cuivis promptum est, murmurque humilesque susurros
> Tollere de templis, et aperto vivere voto.

Atque iterum Seneca : « Se quisque consulat, et in secretum pectoris sui redeat, et inspiciat, quid tacitus optaverit : quam multa sunt vota quæ etiam sibi fateri pudet ! Quam pauca, quæ facere coram teste possimus ! » Sine dubio intellexerat malis votis et Deo et ipsi optanti injuriam fieri : illi, quod majestas ejus ignoratur, huic, quia ad vilia animum demisit. « Turpe est deos fatigare [1]. » Quamobrem vult Seneca preces dìs ita admoveri, ut homines nihil sibi ipsis optent. « Exaudiant dì quoque nostram pro nobis vocem gratuitam [2]. » Nam ea maxime impia et injusta vota esse putat, quibus aliquid nobismet optamus, ceteris aut exclusis aut læsis : ea autem maxime pia atque honesta, quibus rogamus ut ceteris nos prodesse liceat. « Vivit is, qui multis usui est [3]. »

1. *Ep.*, 31, 5.
2. *Ep.*, 60, 4.
3. *Ep.*, 60, 1.

Sapiens, comes Dei et universæ rationis conscius, nihil optat, ut qui nihil nec desideret, nec cupiat, et ordini rerum assentiatur. Nos autem,

Qui numerus sumus et fruges consumere nati,

quoniam nihil optare non possumus, ea saltem deos rogemus, quæ et illos dedisse juvet, et nos rogavisse non pudeat.

5. Nec tantummodo vetat turpia deos rogari Seneca, sed indignatur quoque homines esse, qui deos timeant. « Nemo deos sanus timet. Nam non potest amor cum timore misceri. » Amandi autem ante omnia sunt dì, qui tanta benevolentia erga homines utuntur, qui non cessant beneficia in eos congerere, qui nocere nec volunt nec possunt, rationis ministri, mali expertes. Qui fit igitur ut plerique eos reformident, et terribiles potius quam amicos esse putent? Quia « non est facile inter magna mala non desipere[1] ». Quidquid enim rarum et subitum erumpit, et vitæ hominum perniciosum, formidinem animis injicit. « Ubi cadunt urbes, populi opprimuntur, terra concutitur, quid mirum animos inter dolorem et metum destitutos aberrasse? » Quum enim percuti et affligi se homines vident, non possunt quin credant aliquem esse qui se ex proposito percutiat et affligat, Deum scilicet, quem penes solum tanta sit potestas : quam vero ob causam, incertum, utrum

1. *Quæst. nat.*, VI, 29, 2.

ab hominibus impiis pœnas exigat, an ultro sævitiam in immeritos exerceat.

Neutrum autem Seneca probat, et errorem talia putantium curare conatur. « Illud quoque proderit præsumere animo, nihil horum deos facere, neque ira numinum aut cœlum concuti aut terram : suas ista causas habent, neque ex imperio sæviunt[1]. » Quomodo enim dî, qui optimi natura sunt, et in homines benevolentissimi, qui nocere ne quidem possunt, nedum velint, tantam stragem insontium quantam sæpe tremor terræ edidit, tot funera, tot luctus ex proposito faciant? « Quid tam imperitum est, quam credere fulmina e nubibus Jovem mittere, columnas, arbores, nonnunquam statuas suas petere, uti impunitis sacrilegis, percussis ovibus, incensis aris, pecudes innoxias feriat[2] ? »

6. Patet igitur hic Senecam plane illius superstitionis expertem fuisse, qua multa vel præstantissima eodem tempore ingenia omnino caruisse non crediderim. Nam an Tacitus vere putaverit divinitus illa prodigia et monstra fieri, quæ nunquam referenda omisit, haud facile dictu est; et Plinium Juniorem apparet ex ipsius scriptis illa credulitate vacuum non fuisse. At vero Senecæ mens ne magnis quidem illis motibus, qui Campaniam « nunquam securam hujus mali » magna strage vastaverunt, turbata est;

1. *Quæst. nat.*, VI, 3, 1. — Cf. L. Crouslé, *De Senecæ naturalibus Quæstionibus*, p. 10, 147.
2. *Quæst. nat.*, II, 42, 1.

imo clare intellexit quid præsidii adversus omnes illius generis calamitates esse posset : scientiam scilicet legum quibus natura rerum immutabilibus regitur. Causas inveniri posse, inventisque causis aut averti mala aut saltem præsciri, mire cognovit. Ipse, juvenis admodum, libellum de terræ motibus scripserat, qui periit. Quæ dum explicat, nemini magis quam Verulamio conferri potest, qui ingenio pariter vivido præditus, et causis rerum ipse perquirendis impar, perquirendas tamen sensit, et novam physicæ rationi viam munivit. Liceat nobis totum illum excellentem locum citare, in quo Seneca explicuit quomodo, causis rerum cognitis, timoribus liberari et natura potiri homines possent.

« Nobis ignorantibus verum omnia terribiliora sunt, utique quorum metum raritas auget. Levius accidunt familiaria, et ex insolito formido major est. Quare autem quidquam nobis insolitum est? Quia naturam oculis, non ratione comprehendimus, neque cogitamus quid illa facere possit, sed tantum quid fecerit. Damus itaque hujus negligentiæ pœnas, tanquam novis territi, quum illa non sint nova, sed insolita. Quid ergo ? Non religionem incutit mentibus, et quidem publice, sive deficere sol visus est, sive luna, cujus obscuratio frequentior, aut parte sui aut tota delituit ?

» Nihil horum sine timore miramur. Et quum timendi sit causa nescire, non est tanti scire, ne timeas? Quanto satius est causas inquirere, et quidem toto in

hoc intento animo? neque enim illo quidquam inveneri dignius potest cui se non tantum commodet, sed impendat[1]. »

Fatendum est Senecam de physicis rebus disputantem nobis sæpe risum movere : quid refert, si rerum physicarum naturam et causas melius quam ceteri ejusdem ætatis intellexit? Est aliquid eum veram viam dispexisse, quamvis non sit ingressus. Cartesius noster qualis in physiologia sit, neminem fugit : in maximos errores intrepidus ruit. Hunc tamen ut ducem suum multi in eadem scientia doctissimi hodie verentur, quia primus qualia ea sint quæ in corporibus animalium fiunt, bene novit. Similem ne invideamus Senecæ honorem, quo ut dignus appareat, satis est ille locus quem citavimus. Parum fuit in illo tempore, inter tot superstitiones, puram mentem servavisse, et nihil in natura rerum, ne insolita quidem et terribilia, ex imperiis deorum fieri contendisse?

Atqui nemo unquam vehementius Seneca in ea invectus est, quæ ridicula, aut turpia, aut crudelia religionis nomine homines committere soliti sunt, præsertim in ea ipsa ætate, in qua vixit; nemo melius quantum inter puram religionem et superstitionem intersit, ostendit. « Religio deos colit, superstitio violat[2]. » — « Superstitio amandos timet; quos colit, violat; quid enim interest, utrum deos neges an in-

1. *Quæst. nat.*, VI, 3.
2. *De Clem.*, II, 5, 1.

fames[1] ? » Dialogum de Superstitione Seneca scripserat, qui ad nos usque non pervenit. Contigit autem ut plura ex eo fragmenta nobis servarentur a christianis patribus, qui eum laudibus extollunt, ut æquum est, gaudentes sibi ab inclytissimo philosopho non argumenta tantum, sed et convicia adversus falsos deos suppeditari. Augustinus[2] ante omnes audaciam et vehementiam Senecæ admiratur, eumque Varroni longe anteponit, qui tantummodo absurdissimas de dìs fabulas coarguere ausus erat.

Ægre fert Seneca simulacris, et illis sæpe deformibus, nomina deorum imponi. « Sacros, immortales, inviolabiles in materia vilissima atque immobili dedicant. Habitus illis hominum ferarumque et piscium, quidam vero mixto sexu diversis corporibus induunt, numina vocant, quæ si spiritu accepto subito occurrerent, monstra haberentur[3]. » Videtur hic Seneca alienigena potissimum sacra respexisse : eos ritus deridet qui Romam cum Iside et Osiride, cum Cybele, cum Aty allati erant, neque ipse scit utrum magis eorum stultitiam admiretur, an detestetur crudelitatem. « Ille viriles sibi partes amputat, ille lacertos secat. Ubi iratos deos timent, qui sic propitios habere merentur ? dì autem nullo debent coli genere, si et hoc volunt. Tantus est perturbatæ mentis et sedibus suis pulsæ furor, ut sic dì

1. *Ep.*, 123, 16.
2. *De Civit. Dei*, VI, 10.
3. *Frgm.*, 31, éd. Haase.

placentur, quemadmodum ne homines quidem sæviunt... se ipsi in templis contrucidant, vulneribus suis ac sanguine supplicant. Si cui intueri vacet quæ faciunt quæque patiuntur, inveniet tam indecora honestis, tam indigna liberis, tam dissimilia sanis, ut nemo fuerit dubitaturus furere eos, si cum paucioribus furerent : nunc sanitatis patrocinium insanientium turba est [1]. »

Hinc perspici potest, quam illa labe superstitionum, quæ ex Oriente advenerant, populus Romanus infectus esset, vel, quo melius dicam, turba illa ex omnibus terrarum orbis partibus collecta, quæ Roma quasi communi domicilio potita erat. Atque etiam crescente malo, patriam quoque religionem invaserat superstitio, eademque insania nunc Jupiter et Juno colebantur, qua Atys et Osiris. Vix credibile est quod Seneca in Capitolio se vidisse profitetur : « Alius nomina deo subjicit, alius horas Jovi nuntiat... sunt quæ Junoni ac Minervæ capillos disponant : longe a templo, non tantum a simulacro, stantes, digitos movent ornantium modo.... sunt qui libellos offerant et deos causam suam doceant..... sedent quædam in Capitolio quæ se a Jove amari putant, nec Junonis quidem, si credere poetis velis, iracundissimæ respectu terrentur [2]. » Ista Romæ quotidie fiebant, primo post natum Christum seculo. Ea pa-

1. *Frgm.*, 34.
2. *Frgm.*, 36, 37.

rum animadvertimus, quia tantummodo cum uno aut altero ejus temporis præstantissimo viro conversamur : sed superstitiones mirum in modum fere omnium animos corruperant. Has igitur Seneca impugnat, nec magis patriis parcit diis quam externis, eosque conviciis petit, quorum similia non facile, nisi forte apud Voltarium nostrum, invenias. « Quid ergo est, quare apud poetas salacissimus Jupiter desierit liberos tollere ? utrum sexagenarius factus est, et illi lex Papia fibulam imposuit? an impetravit jus trium liberorum? an tandem illi venit in mentem :

Ab alio exspectes, alteri quod feceris,

et timet ne quis sibi faciat, quod ipse Saturno[1]? »

Quæ omnia latius explicui, primum propter singularem vim orationis, quæ desiderium amissi operis auget, deinde ut manifestum fieret quo animo contra ritus « crudeliter turpes », ut Augustinus ait, Seneca sit invectus, et a communi furore abhorruerit.

7. Quum igitur non petant dì ab hominibus ut se timeant, ut sibi serviant, quid restat, nisi ut illos amemus, et quantum in nobis est, imitemur? Sed libet hic quoque Senecam ipsum audire. Parum est quidquid in templis perficitur. « Ne in victimis quidem, licet opimæ sint auroque præfulgeant, deorum est honor, sed in pia ac recta voluntate venerantium[2]. »

1. *Frgm.*, 119.
2. *De Ben.*, I, 6, 3.

Totus in animo cultus esse debet ; non potest pravo pectore Deus ut decet adorari. « Primus est deorum cultus deos credere ; deinde reddere illis majestatem suam, reddere bonitatem sine qua nulla majestas est ; scire illos esse qui præsident mundo.... qui humani generis tutelam gerunt, interdum curiosi singulorum. Hi nec dant malum nec habent... Vis deos propitiare ? bonus esto. Satis illos coluit quisquis imitatus est[1]. » Patet hic quoque, quam urgeat Seneca malo carere deos, nec posse majestatem eorum a bonitate sejungi. Quid puræ religioni magis consentaneum dici potuit ? Quis miretur si multi persuasum habuerint Senecam per Paulum christianæ doctrinæ participem factum fuisse ? Quod quum verum non sit, verisimile tamen videri sæpe debuit[2].

1. *Ep.*, 95, 50.
2. Cf. Gaston Boissier, *Le Christianisme de Sénèque* (*Revue des Deux Mondes*, 1er mars 1871).

CAPUT QUARTUM

HUC CONFERUNTUR QUÆ DE DEO EPICTETUS ET M. ANTONINUS SENSERINT.

I. Non satis est, ut perspiciamus qualem habuerit Deum Seneca, eam imaginem Dei, quam effinxit, ad illam conferre, quam antiquiores stoici adumbraverant : quærendum est etiam qualis Deus apud stoicos prope ejusdem ætatis, aut paulo posteriores, Epictetum scilicet et M. Antoninum, appareat.

1. Quod Seneca parum curaverat, scilicet ut demonstraret Deos esse, id Epictetus omnino omisit. Majore enim Dei amore flagrat, vividiore ejus majestatis imagine impletur, quam ut argumenta, qualiacunque sunt, quæ aut Deum esse aut non esse contendunt, multum apud illum valeant, nec magis illa referenda quam hæc refellenda esse putat. Quis enim probat esse deos, nisi qui censet opus esse ut id probetur? Nihil autem certius habet Epictetus quam omnia esse Deo plena, ipsumque hominem ideo tantum ceteris animalibus præcellere arbitratur, quod rationis particeps Deum et intelligat et intra se habeat.

Neque aliter de ipsa Dei essentia pauca scripsit Seneca, Epictetus autem prope nihil. Omnis enim sapientiæ incuriosus est, quæ non ad meliorem efficiendum hominem spectet. Quid vero ad bonam vitam refert, si paulo plus de essentia Dei quam priores quæsierimus? Præterea, ut supra jam dixi, idem est apud stoicos, Deum sequi et Deum nosse. Nam Deus non potest ab ipsa fatorum serie separari : quibus si quis libens assentitur, fit quasi divinæ mentis conscius.

2. Verum ex eo, quod Deus natura est, non colligit Epictetus naturam perscrutandam esse, ut diligentius ac melius Deum cognoscamus, sed naturæ parendum, ut Deo placeamus ; non id enim naturam hominis requirere, ut tempus et laborem in problematibus solvendis, in discutiendis difficultatibus scientiarum conterat, quarum pleræque nihil ad bonam vitam afferant ; nos contra ad id unum factos esse, ut Deo serviremus, ut Deum sequeremur et laudaremus. « Quid melius agam quam Deum laudare, invalidus ego atque annis obsitus ? Quod si luscinia aut cycnus essem, eadem agerem quæ et lusciniæ et cycni : nunc autem quum animal rationale sim, necesse est ut Deum laudem. Hoc opus est meum, hic labor, nec desinam, quamdiu vires me non deficient ; atque vos hortor ut mecum canatis[1]. » Aliquid etiam in Epicteti sermonibus deprehendi potest

1. Épictète, Διατρίβαι. I, 16.

haud dissimile, nisi fallor, ejus quod sæpe apud nostrum *Nicole* ceterosque quibus nomen a Jansenio inditum est, reperitur. Quam illi *libidinem sciendi* impugnaturi erant, hanc, etsi non eodem nomine appellatam, patet Epicteto quoque invisam fuisse. Major quidem illorum asperitas futura erat; idem vero prope hic senserat. Quemadmodum enim *jansenistæ* non scientiæ inutili, sed saluti operam dandam, ita Epictetus dicere solitus erat, ante omnia Deo placendum esse[1].

3. Longe aliter de dignitate scientiarum et sentit et loquitur Seneca. Non adeo totum se adorando Deo tradit, ut causas rerum omnibus modis indagare, vel potius indagandas commendare negligat. Argumento sit præstantissimus locus, in quo de Deo locutus Seneca, ad ea transit quæ, labore non cessante, veniens ævum aperiet[2]. Miro quodam modo videtur præsensisse quanta scientiarum potestas futura esset, quot et quanta miracula, inventis legibus quibus natura rerum paret, quotidie ab homine perfici possent. Hoc proprium Senecæ, neque ullius alius stoici, ne Epicteti quidem est : non animum tantummodo, sed et intellectum hominum plurimum valere confidit : et nos multa a diis accipientes, multa quoque mentis nostræ labore adipisci posse profitetur.

Semper illa tranquillitate animi ipse caruit, quam

1. Épictète, Διατριβαί, III, 24.
2. *Quæst. nat.*, VII, 30, 32.

laudibus efferebat, quam a virtute posse separari negabat. Inscius forte sentiebat aliquid philosophiæ suæ deesse, quæ vividum ingenium et multa cognoscendi avidum non impleret, sed sentiebat tamen. Disciplinam stoicam elegerat, quam sequeretur, quia optimam eam esse (nec immerito) judicabat : stoicum autem eum natura non informaverat. Vita ejus et mores cum Epicteti vita et moribus conferantur. Hujus pacem nihil turbat ; in omni conditione vitæ par sibi ipse et constans manet, nec quidquam præter virtutem et sapientiam miratur. Ille autem vivit adolescens in aula, neque exsilium pati potest, C. Cæsarem, Claudium, Agrippinam, Neronem, tot dominos, tot dominas experitur, et rei publicæ pæne præfectus, ad pessima non semel descendit, metu pejorum : morte quidem, quam vita, si fas est dicere, stoicior. Cui tamen peccanti non irascetur quisquis expertus est eam esse humani animi debilitatem, ut non satis sit ad mala fugienda, bona maluisse. Denique ad vitam philosophiæ consentaneam plus potuit in Epicteto natura quam in Seneca voluntas (ut æquum erat : natura enim mire sibi constat ; voluntatem nisi fortissima est, huc illuc externa versant) : at Epictetus ingenium simplex et maxime uni rei aptum sortitus erat, Seneca autem plurimis rebus idoneum, et omnium curiosum, et præsertim illius quietis impatiens, quam affectabat.

4. Uterque demonstrare voluit Providentiam esse,

quæ mundum regat et curet. Quibus argumentis usus sit Seneca, jam vidimus. Epictetus nec nova affert nec sane meliora. Contendit enim opus esse admirabile mundum, quod non sine artifice quodam et formatum et conservatum esse possit; deinde omnia in terris, et in primis animalia ad usum hominum a Deo producta esse : hæc ut nobis victum præberent, illa lanam, alia, ut veherent nos, alia, ut traherent onera ; quædam ejusmodi addit etiam puerilia : barbam viris ideo a Deo datam, ut a feminis discerni procul possent, et quantum leoni hominem, tantum jubæ barbam præstare. Contra Seneca perspexerat « non omnia hominis causa facta esse », et in constituendis rebus universis, non hominum tantummodo, sed et hominum rationem fuisse habitam.

5. Nec diu moratur Epictetus in probando, bonitati et justitiæ deorum non repugnare, quidquid mali in mundo accidat. Morbos enim, et mortes immaturas, et quas maximas ferre homines debent calamitates mala esse omnino non confitetur. Nam sic concludit : « Quidquid fit, non sine Deo, id est, non sine optimo consilio evenit. Ea igitur quæ vocantur mala, casus, clades, non mala sunt, quoniam sic voluit Deus. » — « Nemo unquam orbus est. » Quare? quia omnium hominum Jupiter communis pater est. « Non deest victus cæcis, non claudis. » Nesciebat Epictetus quot homines, vel sanis cruribus et oculis, fames vexet atque etiam occidat? Non ille quidem, sed negabat famem esse malum : « Nihil tibi superest quod edas?

Significat Deus exeundum esse. I, sine lacrymis et æquo animo, ut eum decet qui ex convivio satiatus recedit. »

Multo magis iisdem difficultatibus movetur Seneca. Libellum ideo scribit, ut causas explicet, *cur aliqua incommoda bonis viris accidant, quum Providentia sit*, et quamvis rhetorem potius quam philosophum in illo opere sæpe agat, interdum suspicari videtur quam grave sit id onus, quod suscepit. Epictetus simpliciter credebat nihil unquam mali accidere, quum omnia divina essent. Senecam autem non fugiebat, multa bonitati deorum objici posse et justitiam eorum a criminibus non levibus esse vindicandam : non illi aperte patebat, omnia in mundo quam optima fieri. Ita de Providentia fides apud Epictetum certior, argumenta plura apud Senecam.

6. Optime noster Pascalius dixit « Epictetum mire novisse quid homines Deo deberent, et quo ille modo colendus esset, ac pæne dignum fuisse qui et ipse coleretur ». Pietate enim erga Deum, ut ita dicam, inexhausta impletur, et sæpe tanto ardore fervet, ut in preces effundatur, quibus pulchriores aut Deo digniores invenire non est. Hunc tanquam semper sibi præsentem compellat, et mori inter laudandum Deum cupit. « O Deus, quæcunque a te accepi, lætus repetenti reddo. Pauper fui, quia pauperem me esse voluisti, sed libenter fui. Ægrotavi, quia volebas ; æquo animo malam valetudinem tuli. Visne me jam e vita exire ? Adsum impiger, et gratias ago tibi quod me si-

veris hoc magnifico spectaculo frui, et intelligere, quam sapienter mundum regas[1]. »

Hic quoque perspicere licet, quam diversa inter se Epicteti et Senecæ ingenia fuerint. Nam quæ de adoratione et cultu Deorum tam pulchra, tam divina dixit Epictetus, ex animo ejus quasi ex fonte manabant pleno. In illo pio pectore intimus, ut ita dicam, Deus sedebat. At Seneca multa quoque admirabilia de Deo adorando et colendo sensit, non autem eodem modo, quo Epictetus. Qualem habere Deum deceat non intra sese experitur, ut ille, sed intelligit. Dum de natura Deorum, de eorum adversus homines justitia, de beneficentia, de amore et cogitat et loquitur, mens ejus incalescit, et usque ad excellentem illam pietatem, Epicteto natura insitam, impetu ingenii sui fertur : quod ita vividum est, ut et ipsos christianos nonnunquam in cognoscendo et in colendo Deo æquaverit.

II. Nunc ad ea transeamus quæ M. Antoninus imperator de Deo in libello εἰς ἑαυτόν passim scripsit, cum Senecæ placitis conferenda.

1. Ante omnia dicendi genere multum differunt. Docet Seneca plerumque, et quibus melius verbis legentium animos movere possit, et quærit, et fere semper invenit. M. Antoninus secum solus loquitur. Magistrum ille agit ; hic nihil aliud quam conscien-

1. Épictète, Διατρίβαι, III. — 5, IV, 10.

tiam suam coram se ipso explicat, et neminem officii neglecti monet, præter sese. Nulla igitur arte indiget, neque ullam adhibet dictis : quam simplicissimis utitur verbis, et quam paucissimis. Senecam juvat morari, si quando in splendidiorem locum inciderit, et eamdem sententiam plus quam semel nitidioribus verbis reddere. Nunquam ita in eo, quod dicit, totus est, ut omnino obliviscatur se dicere. M. Antoninus contra ad se unum scribit. Nec tamen Epicteto plane similis est. Hic enim stultos acrius objurgat, inertes ad virtutem hortatur, et ad pugnam ignavos excitat, quasi *miles pietatis* (ut Kantii verbo utar). Nescio quid mitius M. Antoninus spirat. Stoicus est sine ulla ferocia, nec tamen sibi magis, quam ceteri, indulget. Ita dulcem et amabilem naturam suam inscius ostendit, ut nobis nec suspicionem, neque invidiam, nec risum moveat, quorum unum aut alterum plerisque accidit qui de se ipsi scribere, et scripta tradere posteris ausi sunt. Imperatorem exspectabas, aut rhetorem, aut philosophum : virum bonum invenis.

2. Major sine dubio fuit in Seneca quam in M. Antonino cupido sciendi. Hic enim in una, ut ita dicam, cogitatione defixus, id tantummodo spectat ut ad eam sapientis imaginem, quam sibi effinxit, sese informet; Seneca autem dum philosophiæ morali operam dat, multa quoque alia transeundo sollicitat, ut qui causas rerum, nisi perquirere, saltem pertentare amet. Unum tamen invenimus, de quo plura M. Antoninus quam Seneca quæsivit. An sint dî, nunquam hic revera vide-

tur dubitare, eosque esse quasi jam credentibus credens ipse demonstrat. At M. Antoninus sæpius de hoc secum meditatur et dubitat, haud ignorans quam alia fiat conditio hominum, si sint dì, alia, si non sint. Miro quodam modo sensit hoc maximi momenti in philosophia morali esse, et inde pendere, quid de vita post hanc forsan futura judicandum foret. Quid ergo? Dum dubitationem solvi posse desperat, hanc unam viam animi stabiliendi reperit : virtuti etiam tunc se dare, si non sint dì. Liceat hic præstantissimum illud in latinum sermonem vertere. « E vita exire, si quidem dì sunt, nihil triste est : nihil enim malum tibi minantur. Si minus sunt, aut si parum homines curant, quid me juvet in mundo dìs et providentia vacuo vivere? At vero et sunt, et homines curant[1]. » — « Qui fit, ut ceteris rebus pulchre et apte ad homines dispositis, id unum neglexerint dì : nempe quosdam viros plane optimos... quum mortui sint, non iterum nasci, sed in elementa dissolvi? Hoc ita si revera est, pro certo habe, si aliter esse debuisset, aliter id deos dispositruos fuisse. Nam si id justum erat, et fieri poterat : si id secundum naturam erat, et id natura tulisset. Quum igitur ita res non se habeat (si revera non ita se habet), fac persuasum habeas, non oportuisse ita rem se habere. Vides enim te, dum hoc ipsum quæris, cum dìs disputantem : at non sic deos alloqueremur, nisi optimi et justissimi essent[2]. » Fa-


1. M. Anton., II, 11. — Cf. VI, 44.
2. M. Anton., XII, 5.

teor propius hoc religioni quam philosophiæ jam fieri : ambæ vero apud M. Antoninum coeunt plerumque. Intelligit de deorum existentia dubitari posse; ipse non dubitat, ut qui impius non esse velit.

3. Providentia mundum regi et Seneca et M. Antoninus pariter arbitrantur : ita tamen ut hic quoque multum inter hunc et illum interesse appareat. Magnificentissime beneficia, quæ dì in homines vel ingratos accumulant, Seneca describit : qua vi, qua eloquentia bonitatem eorum erga homines explicet, et justitiæ divinæ adversus accusantes causam dicat, jam vidimus.

Submissior est M. Antonini oratio. « Res divinæ Providentia plenæ. Illinc manant omnia... Quidquid toti naturæ prodest, et singulis naturæ partibus bonum est. Quod tibi satis sit, neve quidquam amplius in libris quæras[1]. » Id autem iterum atque iterum M. Antoninus cavendum præcipit, ne quid dìs exprobretur. Μέμφεσθαι θεοῖς mali est hominis, impii et stulti. Nam quæ Dei voluntate eveniunt (omnia scilicet), ea ratione optima atque etiam φιλανθρώπως sunt disposita; quis igitur sanus bene de se merentes contumeliis prosequatur? Atque hoc in primis animadverti velim, nunquam apud M. Antoninum causam hominum a deorum causa sejungi. Οὐδένι μεμπτέον[2]. Qui dìs irascitur, et homines odit : qui erga homines justus, et

1. M. Anton., II, 3.
2. M. Anton., XII, 12. — VIII, 7.



erga deos pius est. Αἰδοῦ θεούς, σῶζε ἀνθρώπους[1]. Hoc est, ut opinor, M. Antonini proprium; hoc illum a ceteris antiquis philosophis forsan separat, quod omnis ejus adversus deos pietas nescio quo modo in caritatem adversus homines vertitur. « Qui injustus est, idem et impius est. Nam quum universa rerum natura (id est Deus), animalia rationalia ea conditione genuerit, ut invicem sibi prodessent, nullo autem nocerent modo, si quis voluntatem ejus transgreditur, impium esse eum patet in Deum omnium maxime venerabilem[2]. » Ipse nunquam obliviscitur vitam suam ceterorum hominum et deorum vitæ implicari, et in communia se natum (κοινωνικόν). Nullo enim verbo sæpius utitur. Non tantummodo patrem, id est Deum, sed et fratres, id est homines, semper adesse, imo semper interesse sibi meminit.

Itaque M. Antoninus istam severitatem et asperitatem effugit, qua nos stoica doctrina etiam admirantes paululum offendebat. Nempe ceteri stoici duriores interdum videntur esse in eos quos stultos vocant; quorum autem in numero quis potest non poni, quis nisi sapiens? Quem haud scio an deo, certe homini non similem dicere ausim. At boni et pii viri est, ut putat M. Antoninus, sese non usque ad deos attollere, sed hominibus benevolentem præbere. Ut quisque carissimos homines habet, ita optime deos colit.

1. M. Anton., VI, 30.
2. M. Anton., IX, 1.

Hujus piæ erga homines caritatis Senecam non expertem fuisse fatebitur quisquis memorabilia ejus de servis et de ludis gladiatoriis verba vel semel legerit. Attamen longe alia ejus indoles erat, alia M. Antonini. Hic tener et docilis, virtutis rapax et tenax, et adeo lenis fuit, ut malos nescire, si posset, quam objurgare mallet : ille autem ad ignoscendum minus pronus, malorum et stultorum magis impatiens, acutus, facetus, mobilis, plurimorum capax, ridiculi traducendi peritissimus, qui denique, unus atque idem, et consolationem ad Marciam, et ludum de morte Claudii posset scribere.

CONCLUSIO

Quæ supra sunt fusius explicata, paucis nunc colligere expediet.

Non semper sine discrimine « deos » vel « Deum » dicit Seneca : est ubi tantummodo « Deum », est ubi « deos » ex proposito scribat. Deus est causa sui, causa causarum, conditor et rector mundi, distributor fati, judex noster, Deus deorum. Dî autem sunt ex illo supremo Deo geniti, ministri illius, cum mundo perituri, nec malum habent nec dant : quorum in numero Sol, Luna, ceteraque cœlestia ponenda sunt. Animus hominis pars Dei est, ipse Deus, ἀποσπάσμα θεοῦ.

Pauca de existentia et de essentia deorum Seneca, de bonitate autem et amore erga homines plurima. Hic a veterum stoicorum doctrina paululum discedit. Quod ad metaphysicam Dei naturam spectat, illos quidem sequitur; quod vero ad moralem, sæpius de suo et præclare loquitur. Inde in ejus scriptis non plane nova, sed mutata tamen Dei ἰδέα apparet. Quum tot appellationes ejus esse possint quam mu-

nera, mavult patrem eum vocari quam fatum. Humanior fit Deus, amicus, et semper in proximo. Providentia autem qualis sit, quoque modo se in rerum natura deprehendi sinat, optime Seneca sensit, male demonstravit : non ita tamen, ut in explicandis deorum erga homines beneficiis, causis finalibus eodem modo, quo ceteri fere stoici, abuteretur.

Vehementius in ritus « crudeliter turpes » qui tunc Romæ in honore erant, Seneca invehitur : nempe superstitione non coli deos, sed violari. Nihil magis pro certo habet, quam Deum bonum esse, et eum, qui nocere nec possit, nec velit. Amare igitur eum debemus, non timere; in suo cuique consecrandus est pectore, non sanguine pecudum placandus. Tremores terræ ceteræque ejusdem generis calamitates non ex imperio Deorum fiunt : suas ista causas habent; et ideo timemus, quia nescimus, quia naturam oculis, non ratione comprehendimus. Quid scientia rerum physicarum apud posteros perfectura esset, mirum in modum Seneca præsensit : vel potius cum Lucretio consentit nihil triste hominibus imminere, quod dì minentur : non quia deos nihil curare, ut ille, arbitratur, sed quia dì boni sint et optimas a principio leges constituerint.

Patet igitur Senecam in concipiendo et in colendo Deo nemini apud antiquos, ne Epicteto quidem aut M. Antonino, imparem fuisse. Ille quidem magis, ut ita dicam, stoicus fuit, et perpetuo vitæ ac doctrinæ fortissimæ tenore admirabilior; hic forsan et in cogi-

tando et in dicendo candidior ; neuter autem naturam Dei deorum, et lenem majestatem, et bonitatem, sine qua majestas nulla est, et melius intellexit, et felicius expressit.

Vidi ac perlegi,
Lutetiae Parisiorum, in Sorbona,
a. d. XIV Kal. april. ann. MDCCCLXXXIV,
Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi Decanus,
A. HIMLY.

Typis mandetur :
Academiæ Parisiensis Rector,
GREARD.

INDEX CAPITUM

BOURLOTON. — Imprimeries réunies, A, rue Mignon, 2, Paris.